



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

BUIUMBURAËNSIS*

In Burundia constituitur nova Provincia Ecclesiastica Buiumburaënsis, cuius metropolitana
Ecclesia
erit Sedes eiusdem nominis.

Cum ad aptius consulendum Evangelizationis operi in Burundia opportunum visum esset eadem in Natione — ubi nunc una exstat Provincia Ecclesiastica Kitegaënsis — novam Provinciam Ecclesiasticam condere, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitisque faventibus votis eorum quorum interest, censuit nuper ut adeiusmodi institutionem procederetur. Nos vero solliciti de totius Dominici gregis bono, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A metropolitana Sede Kitegaënsi seiungimus dioeceses Buiumburaënsis, Bubantinam et Bururiensem; ex iisque constituimus novam Provinciam Ecclesiasticam Buiumburaënsis atque dioecesim eiusdem nominis ad Archidioecesis Metropolitanæ gradum evehimus cuique assignamus uti suffraganeas ceteras dioeceses Bubantinam et Bururiensem. Insuper Venerabilem Fratrem Evaristum Ngoyagoye, hactenus Episcopum Buiumburaënsis, renuntiamus Archiepiscopum Metropolitanam Buiumburaënsis. Quae praescriptimus committimus perficienda Venerabili Fratri Paulo Richardo Gallagher, Archiepiscopo titulo Hodelmensi et in Burundia Apostolico Nuntio, onere imposito sincerum exemplar actus effectae executionis mittendi memoratae Congregationi. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quinto mensis Novembris, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri secundo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IVAN card. DIAS
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVIII (2006), n. 12, pp. 881-882 © Copyright 2006 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana